dignitate, muneribus atque stipendiis magis ac magis augere.
Magistratus & civitatis et apologiae nostrae exemplar, et
literas humanissimas simul et gratissimas ad illum dede-
runt, quibus innocentiam nostram adversus sycophan-
tae illius convitia atque calumnias testatur (quae literae verè
apologiae nostrae compendium possunt appellari) at ille respon-
si loco Responsi istius Tuberiani (quod verè diabolicum
appello) exemplaria cum brevissimo epistolio am-
plissimis nostris magistratibus quasi per contem-
ptum atque ludibrium, ne dicam contumeliam re-
misit. Hoc quomodo magistratus Tetrapolitani sint ac-
cepturi, et quid porrò sint acturi, illorum consilio atque
prudentiae committo. Haec ipsa horâ quâ haec ad te
scripsi, accepi literas à D. Samuele Kinirino, et D. Jo.
Hallero ecclesiastis primariis Bernensium literas,
quibus significant, Senatus consulto atque decreto Tube-
riani libelli exemplaria passim in urbe et agro, quo
passim ab illo missa et sparsa sunt, colligi ac compor-
tari, ut illa publicè in quadrivio carnificis manu com-
burantur. Carmen etiam quoddam breve et apolo-
geticum vernaculâ linguâ à pio et docto quodam
viro in lucem exiit, quo extempore quidem, sed firmi-
ter atque solidè illius criminationes pravisque refutantur.
Et haec de homine isto, seu monstro potius satis. De
rebus Gallicis, Belgicis et Argentinensibus non operae
pretium, sed supervacaneum esse existimo ad te scri-
bere, cum illa nobis ut viciniores, ita notiores sint.
Alias, si has meas literas tibi (ut quidem spero) non in-
gratas esse intellexero, plura, Deo volente, ad te scri-
bam. Nunc ut scribendi finem faciam, sic tibi velim per-
suadeas, me [illegible] peramantem et observantem esse tui:
rogo ut me fratremque meum redamare pergas. Tig. 6. Sept.
1592. Collegae mei omnes te ut amant & observant, ita
salutant plurimùm.

Tui observantiss.
Jo. Cl. Stuckius.

[illegible]
Clarissimo viro D. D. Pareo
ecclesiae Heidelberg. antistiti
fidelissimo Domino et amico
suo summè colendo.

S. P. Clarissime et praestantissime Vir 224)
D. atque amice observande.
Illustrissimus Elector Princeps noster verso promisit,
facta item abs te mihi spes est, fore ut reciperatur

filii mei in tuam Pædagogiam, victus, studii et morum quamprimum auctius fieret locus, opera et præceptoribus. Si vero de tua et reliquorum Ephororum voluntate et studio non dubito, itaque te rogo, ut cum juvenis idoneus ad illa tua exercitia fuerit, eritque deo volente, illum in album vestrorum domesticorum referatis, operamque des, ut proficere conetur. Malo eum sub certa disciplina et Magistro vivere, quam suo ingenio frui, ex hujus enim libertate, (deteriores n. fere omnes sumus licentia) segnior et depravatior, ex eorum cultura melior, doctior, confirmatior et humanior existet. Audivi enim prædicari eximium illum fructum, qui ex vestra hac schola hactenus emanavit, cujus opportunitate nos quoque uti posse optamus. Ego Deo volente, ut gratus sim, faxo. Interim Tibi illum meum commendatum, quod facis, ut habeas oro. Bene vale Clar. vir. Biponti 27. Octobr. anno 1592

T. Excell. observant.

Pantaleon Candidus.

P.S.

Præterea. Incidi pridie in librum Hunij de Sacramentis, animadverti eum existimare verba Matth. 26. 29. et Marci 14. 25. Non bibam etc. transponenda esse ante institutionem S. coenæ, ut cum Luc. XXII. 16. verbis, qui ea ante coenam ad conclusionem Paschæ recitat, consentiant. Idque eo facit, ut neget Christum cum discipulis coenam usurpasse aut vinum sacramentale bibisse, ne contra certam hanc affirmationem suam fecisse Christus videatur. Idem puto facit et Bellarminus. Hic igitur scrupulus cum me in qualicunque concinnatione Harmoniæ Evangelistarum moretur, quæso per occasionem et opportunitatem tuam, si tibi volenti est, quid sequendum sit ostendas. Vale.